DE M. VARRONE
ET
ISIDORO CHARACENO

C. PLINII IN LIBRIS CHOROGRAPHICIS

AUCTORIBUS PRIMARIIS

DISSERTATIO

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS
RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

GUSTAVUS OEHMICHEN

SAXO PRUSSICUS

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCLXXIII

Quibus fontibus Plinius in Naturali historia usus sit investigare volentibus viam et monstravit et, quantum quidem ad Vitruvium attinet, praeivit Henricus Brunnius dissertatione isagogica, quam 'de auctorum indicibus Plinianis' edidit Bonnae anno 1856. Conferenda sunt quae de hoc libello iudicia fecerunt Urlichsius in Fleckeiseni Annal. phil. t. LXXV (a. 1857) p. 336 sqq. et Detlefsenus Philologi t. XXVIII (a. 1869) p. 701 sqq. Qui quamquam non negaverunt, quae eruerit Brunnius 'satis firma, quibus novae meditationes superstruerentur, fundamenta esse', tamen non modo de singulis rebus quid sit aut comprobandum aut corrigendum emendandumque, id quod voluit Brunnius, nemodum subtiliter quaesivit, sed ne fructum quidem ullum (vel vix ullum) ex illa disputatione perceptum esse video nisi a Leopoldo Brunnio, qui indicum illorum ratione habita 'de C. Licinio Muciano' dissertationem composuit Lipsiae a. 1870 proditam.

Quamobrem quoniam in hoc campo nonnulla, de quibus utiliter dici posse videatur, supersunt, proposuimus nobis in fontes inquirere, quos Plinius in componendis libris chorographicis (III. IV. V. VI) secutus sit primarios. Sed quos ille consuluisse videtur, quominus ad unum omnes recenseremus, cum copia permagna prohibuerit, de duobus tantum ex illorum auctorum numero dicere statuimus, de M. Varrone et Isidoro Characeno. De auctorum vero indicibus librorum III et IV, quippe qui in hac quaestione vel maximi sint momenti, ante dicere visum est. Quare hanc dissertationem divisimus in capita tria: primo enim, quales sint indices librorum III et IV, videbimus; altero de Varrone, tertio de Isidoro disseremus.

Caput I.

De Plinii auctorum indicibus librorum III et IV.

Antequam de indicibus, quos Plinius libris III et IV praefixit, disputabimus, tabulae eorum esse exhibendae videntur, sicut a Brunnio sunt constitutae:

Ex auctoribus

III			IV		
Turranio Gracile .	3				
Cornelio Nepote .	4	132			
T. Livio	4	125			
		128			
		132			
Catone Censorio .	?	53	Catone Censorio . . .		
		98			
		114			
		116			
		124			
		125	M. Varrone	?	62. 66
		130			77. 115
M. Agrippa	8	16. 17	M. Agrippa	45	60. 77
		37. 86			78. 81
		96. 150			83. 91
M. Varrone	8	45. 95			98. 99
		101. 109			102. 105
		143			118
Divo Augusto . . .	17	46	Divo Augusto		
Varrone Atacino .			Varrone Atacino . . .		
Antiate	70		Cornelio Nepote . . .	77	
Hygino			Hygino		
L. Vetere			L. Vetere		
Pomponio Mela . .			Mela Pomponio . . .		
Curione patre . . .					
Caelio	132				
Arruntio					
Seboso					
Licinio Muciano .	59		Licinio Muciano . . .	66	67. 77
Fabricio Tusco . .			Fabricio Tusco		
L. Ateio			Ateio Capitone . . .		
[Ateio] Capitone .			Ateio philologo . . .		
Verrio Flacco . . .					
L. Pisone	131				
Gelliano	108				
Valeriano	108				

Externis

III			IV		
			Polybio	77 121	119 122
			Hecataeo	94	
			Hellanico		
			Damaste		
			Eudoxo		
			Dicaearcho		
			Timosthene		
			Eratosthene		
			Ephoro	64	120
			Cratete grammatico		
			Serapione Antiochense		
			Callimacho	52 73	65. 69 70
Artemidoro			Artemidoro	77	121
			Apollodoro		
			Agathocle		
			[Eumacho]		
			Timaeo Siculo	94	104. 120
			Myrsilo	65	
Alexandro Polyhistore	?	124	Alexandro Polyhistore		
Thucydide	86		Thucydide		
			Dosiade	58	
			Anaximandro	58	120
			Philistide Mallote	58	
			Dionysio	64	
			Aristide	64	70
			Callidemo	64	67
			Menaechmo	64	
			Aglaosthene	66	
			Anticlide	67	
			Heraclide	70	
			Philemone	94	
			Xenophonte	94	
Theophrasto . . 57			Pythea	94	102
Isidoro			Isidoro . . . 9	102	121
Theopompo . . 57	98				
Metrodoro Scepsio	123		Philonide		
Callicrate			Xenagora		
Xenophonte Lampsaceno			Astynomo		
Diodoro Syracusano			Staphylo		
Nymphodoro			Aristocrito		
Calliphane			Metrodoro		
Timagene	132		Cleobulo		

In his tabulis disponendis ita Brunnius progressus est, ut e. g. hoc modo:

M. Varrone . . . | 9 | 18

significet inde a § 9 in usum esse vocatum Varronem; sic autem

M. Varrone . . . | ? | 18,

latere etiam ante § 18 quaedam quae ex Varrone deprompta sint; porro

M. Varrone . . . 9 | 18 |,

quae § 9 leguntur, tum demum addita esse, cum § 18 Plinius etiam in superiore libri parte Varronem non esse neglegendum cognovisset; denique

M. Varrone . . . | — | 18,

in prima operis recensione nullum Varronis usum fuisse.

Has duas quas modo exhibui tabulas qui diligenter inspexerit atque inter se comparaverit, eum non fugiet similitudo. Et Romanorum quidem indicem libri IV optimo iure Brunnius docuit breviatum esse ex indice libri III. Addo Graecorum indicem libri IV a Plinio ita esse decurtatum, ut tres tantum illorum auctorum in indice libri III supersint: 'Artemidorus, Alexander Polyhistor, Thucydides', itaque ex uno duos libros esse effectos. Id etiamsi primo adspectu vix credendum videatur, tamen veri simillimum futurum esse spero allatis quae in promptu habeo argumentis.

Atque ut facilius intellegatur, quomodo Plinius ab initio indices suos conscripserit, eas partes, quae secundis curis debeantur, indagari necesse est. Quas tres esse breviter iam exponam.

Prima reperitur in indice libri V inde a Timosthene usque ad Ephorum. Eidem auctores in textu, ad quem pertinent, hoc ordine recensentur: 'Timosthenes, Isidorus, Artemidorus, Philonides, Xenagoras, Eratosthenes, Staphylus, Dionysius, Aristocritus, Ephorus, Metrodorus, Cleobulus'. In indice igitur, cui fere primi inserti sunt, eodem ordine commemorari debebant, quoniam Plinium eodem ordine, quo in componendis libris usus est, etiam auctores in indices rettulisse Brunnius demonstravit. Desiderantur Isidorus, Artemidorus, Eratosthenes, Metrodorus, Cleobulus, qui post illos recensentur. Quae indicis perturbatio quo modo explicari possit, non video, nisi illos, qui in indice inde a Timosthene usque ad Epho-

rum enumerantur, iam constituto indici adiectos esse putemus, hos, qui in indice non nominantur, eam ob causam esse omissos, quod, antequam opus retractaretur, essent relati. Neque abhorret contextus ab hac sententia. Auctores enim illi in describendis insulis et Graeciae Asiaeque et externi maris ita recensentur ut, quo nomine insulas praeter ceteras claras singuli appellaverint, tradatur. Id si ubique uno eodemque modo factum esset, non esset cur miraremur. Sed ponuntur nomina partim ante insulae descriptionem, ut V, 129 et 130 et 135: cf porro IV, 58 (de quibus insulis idem valere atque de his infra videbimus), partim postea, ut V, 132; IV, 64. Quare si contendas et hanc nomenclaturam et insularum descriptionem ex uno fonte fluxisse, non facile habeas quemquam assentientem; sin nomina insularum ex alio fonte desumpta reliquae descriptioni postea adiecta esse mecum putabis, non modo nihil obstat, sed etiam ipsa verba huic sententiae sat commode favent.

Nam eiectis nominibus quae restant verba, aptissime inter se nexa sunt. Verum quaerat quispiam fortasse, qua de causa Plinius nova nomina non in fine adscripserit, sed medio indici inseruerit. Certum quidem responsum non habeo, sed quae ea de offensione sentiam, fere haec sunt. E Graecis auctoribus qui in indicibus librorum IV. V. VI primi proferuntur, nescio an catalogum geographorum inde ab Hecataeo usque ad Eratosthenem pertinentem effecerint, quem Plinium non ab sese compositum, sed alicunde desumptum exhibere non infitiabitur, qui vel leviter Brunnii commentationem percurrerit. Auctores autem inde a V, 129 commemoratos, quorum nisi in retractando opere nullum usum fuisse supra monstravimus, omnes ante Eratosthenem fuisse fere constat. Eam igitur ob causam et quod primum locum Timosthenes obtinebat, seriem illam a Plinio inter Timosthenem et Eratosthenem insertam esse arbitror. Quod si ita est, ut hoc quoque addam, negandum esse videtur Timosthenem, quippe quem in catalogo illo locum ante Eratosthenem obtinuisse ex indicibus librorum IV et VI appareat, in retractando demum opere a Plinio in indicem esse relatum. Quare indicis tabula sic est componenda:

Baetone	47	129
Timosthene		
Philonide	—	129
e. q. s.		

Altera series auctorum IV, 58 exstat, ubi inde a Dosiade usque ad Isidorum auctores iusto ordine proferuntur. Hanc formulam postea adiectam esse, quamquam ex ipso indice nihil in hanc rem colligitur, tamen perspicuum ut spero erit, ubi hanc seriem comparaveris cum altera de qua modo dixi, textuque ad quem utraque pertineat. Nam auctores, qui utroque loco perhibentur, fere perinde ignoti sunt atque ei, quibus nomina tantum insularum Graecarum debentur. Nec aliud quicquam interest, nisi quod altera series in fine indicis secundum ordinem posita est, altera medio indici inserta, id quod Plinius, ut supra dixi, non satis firma ratione usus fecisse videtur.

Tertia series complectitur auctores in indice libri III inde a Theophrasto laudatos. Namque is, nisi in loco postea (§ 57) inserto, non recensetur: quode cf. Brunnium p. 5. Cum autem veri simile sit Plinium, si illum iam in prima operis recensione attigisset, plura ex eo excerpturum fuisse, non esse dubitandum videtur quin, nisi in retractando opere, non sit in usum vocatus. Quod idem in Theopompum cadere quominus putemus, nihil est obstaculi. Nam quae § 98 traduntur, adaeque ac § 57 postea adiecta esse videntur. Auctores vero postea adhibitos cum Plinius in fine indicis adscribere soleat, cumque non sit cur hos duos auctores medio indici insertos esse arbitremur, etiam qui eos subsecuntur secundis curis deberi videntur.

Has igitur indicum partes, ut quae in retractato demum opere a Plinio additae sint, resecandas esse arbitror, si, quomodo ille in constituendis indicibus versatus sit, perspicere voluerimus. Sed cum nihil aliud agatur, nisi ut, quid de indicibus librorum III et IV statuendum sit, eruamus, eorum quos Plinius in V libro adiecit ratio non est habenda; nec de eis supra dixissem, nisi illa ratiocinatione ad explicandum indicem libri IV opus esse vidissem. Omissis igitur, qui in indice libri IV inde a Dosiade enumerantur, restant auctores undeviginti, e quibus nullus in ipso operis contextu laudatur.

Nam quae eis addito nomine tribuuntur, talia sunt qualia ea quae auctoribus inde a Dosiade adscitis debentur, ita ut una cum his in retractando opere adiecta esse vero non sit absimile. Ex indice autem libri III si eieceris auctores, quos postea adscriptos esse diximus, tres tantum reliquos habebis: 'Artemidorum, Alexandrum Polyhistorem, Thucydidem'. Quibus solis Plinium in libro III componendo usum esse cum non facile quisquam sibi persuaserit, plures quos non nominet eum esse secutum gravis suspitio est. Et recensentur in contextu praeter illos tres auctores hi: § 85 'Timaeus, Myrsilus, Thucydides', § 75 'Eratosthenes, Polybius', §§ 139 et 152 'Callimachus'. Qui autem factum sit, ut tot auctores in indice omitterentur, docet liber IV. In eius enim indice enumerantur eidem auctores qui in textu libri III, et eodem quidem ordine positi. Qui cum ad Romanas tantum insulas nec ad Graecas spectent, eidem autem in indicibus librorum V et VI redeant, postmodum adiecti esse non videntur. Quare libri III indicem nihil esse nisi breviatum indicem libri IV sat probabilis mihi coniectura videtur: quae quidem vel maxime nova indicis tabula confirmatur. Nam si paragraphos libri III apponimus, quibus auctores indicis libri IV laudantur, haec prodit variata indicis tabula, in qua optimo ordine omnia procedunt:

Ex indice libri IV	E contextu libri III	
Polybio	?	75
Hecataeo		
Hellanico		
Damaste		
Eudoxo		
Dicaearcho		
Timosthene		
Eratosthene	75	
Ephoro		
Cratete grammatico		
Serapione Antiochense		
Callimacho	?	139. 152
Artemidoro		
Apollodoro		
Agathocle		
[Eumacho]		
Timaeo Siculo	85	
Myrsilo	85	
Alexandro Polyhistore		
Thucydide	86	

Non est igitur cur Graecorum indicem libri IV integrum, libri III breviatum esse negemus. Contrarium in Romanos cadere auctores iam supra dictum est. Eorum enim indicem libri III intactum, libri IV decurtatum esse Brunnius primus vidit. Hanc autem indicum mutationem sive casu factam esse putamus, sive Plinium existimamus, id quod libentius credam, ei libro quo Italiam descripsisset i. e. tertio, Romanorum indicem, ei autem quo Graeciam i. e. quarto, Graecorum indicem integrum praemittere maluisse, iam illud perspicuum est, quae libris III et IV traduntur, hoc est Europae descriptionem, ab initio uno libro colligata fuisse.

Sunt autem revera libri V et VI indicesque eorum tales, ut unum tantum volumen ab initio effecisse videantur: quamquam de singulis quid sit statuendum, non facile continget eruere. Cf. VI, 202.

Caput II.

De M. Varrone.

Praeterquam quod in universo orbe terrarum describendo Plinius aeque ac Mela mari duce usus est, etiam in singulis multa tradit, quae vel cum verbis huius scriptoris congruant. Quam rem ita plerique explicavere ut, quae hic tradat, ex illius chorographia derivata esse contenderent: cf. Harduinum ad Plin. IV sect. 26 (p. 217 adn. 28), Tschuckium ad Mel. I, 27. Fieri autem potuisse, ut illi scriptores ex uno eodemque fonte haurirent, adhuc nemo suspicatus est, quamquam satis constat non solum mediae aetatis scriptores, sed etiam antiquos et Graecorum et Romanorum auctores verbo tenus antiquiorem aliquem exscribere non dubitasse: id quod etiam Livium fecisse nuper demum Nissenus docuit in 'Kritische Untersuchungen' p. 78. Quare postquam paullulo diligentius examinavi quos locos Mela et Plinius communes exhibent, ex Varrone eos desumptos esse contendo. Sed ad certum iudicium tum demum perveniri poterit, cum fragmenta illa omnia collegerimus unumque in conspectum redegerimus. Sunt autem haec quae infra posui.

Mela (ed. Parthey)	Plinius (ed. Ian. alt.)
1	
I, 6. 7. Id omne qua venit quaque dispergitur uno vocabulo Nostrum mare dicitur. angustias introitumque venientis nos fretum, Graeci porthmon appellant. qua diffunditur, alia aliis locis cognomina acceptat. ubi primum se artat Hellespontus vocatur, Propontis ubi expandit, ubi iterum pressit Thracius Bosphorus, ubi iterum effudit Pontus Euxinus, qua paludi committitur Cimmerius Bosphorus, palus ipsa Maeotis.	III, 74. In eo maria nuncupantur, unde inrumpit, Atlanticum, ab aliis magnum. qua intrat, Porthmos a Graecis, a nobis Gaditanum fretum. cum intravit Hispanum, quatenus Hispanias adluit, ab aliis Hibericum aut Baliaricum, ab eo ad Siciliam insulam Tuscum, quod ex Graecis alii Notium alii Tyrrhenum, e nostris plurimi inferum vocant.
2	
I, 8. Hoc mari et duobus inclitis amnibus, Tanai atque Nilo, in tres partes universa dividitur. Tanais a septentrione ad meridiem vergens in mediam fere Maeotida defluit: et ex diverso Nilus in pelagus. quod terrarum iacet a freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus, ab altero Europen: ultra quidquid est, Asia est.	III, 3. Terrarum orbis universus in tres dividitur partes, Europam Asiam Africam. origo ab occasu solis et Gaditano freto, qua inrumpens oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur. hinc intranti dextera Africa est, laeva Europa, inter has Asia. termini amnes Tanais et Nilus.
3	
I, 27. Deinde est mons praealtus, ei quem ex adverso Hispania adtollit obiectus: hunc Abilam, illum Calpen vocant, Columnas Herculis utrumque. addit fama nominis fabulam, Herculem ipsum iuncto olim perpetuo iugo diremisse colles, atque ita exclusum mole montium oceanum ad quae nunc inundat admissum.	III, 4. Proximis autem faucibus utrimque inpositi montes coercent claustra, Abyla Africae, Europae Calpe, laborum Herculis metae, quam ob causam indigenae columnas eius dei vocant, creduntque perfossas exclusa antea admisisse maria et rerum naturae mutasse faciem.
4	
III, 14. . . . et latae adhuc Hispaniae magis magisque spatia contrahere, usque adeo semet et terras angustantes, ut earum spatium inter	III, 29. . . . ubi cuneatur angustus inter duo maria. paullatim deinde se pandens, qua contigit ulteriorem Hispaniam, tantundem

Mela	Plinius
duo maria dimidio minus sit qua Galliam tangunt, quam ubi ad occidentem litus exporrigunt.	et amplius (CCCVII) latitudini adicit.
5	
II, 84. Inde est ora Sardonum et parva flumina Telis et Ticis, ubi adcrevere persaeva, colonia Ruscino, vicus Eliberrae, magnae quondam urbis et magnarum opum tenue vestigium.	III, 32. In ora regio Sardonum intusque Consuaranorum, flumina Tetum, Vernodubrum, oppida Eliseberae magnae quondam urbis tenue vestigium, Ruscino Latinorum.
6	
II, 81. Atax ex Pyrenaeo monte digressus, qua sui fontis aqua venit, exiguus vadusque est, et iam ingentis alioqui alvei tenens, nisi ubi Narbonem attingit nusquam navigabilis, sed cum hibernis intumuit imbribus, usque eo solitus insurgere ut se ipse non capiat. lacus accipit eum Rubraesus nomine spatiosus admodum, sed qua mare admittit tenuis aditu.	III, 32. . . . . flumen Atax e Pyrenaeo Rubrensem permeans lacum.
7	
II, 76. In litoribus aliquot sunt cum aliquibus nominibus loca: ceterum rarae urbes quia rari portus, et omnis plaga austro atque africo exposita est.	III, 32. . . . . oppida de cetero rara praeiacentibus stagnis.
8	
II, 79. Rhodanus non longe ab Histri Rhenique fontibus surgit: dein Lemanno lacu acceptus tenet impetum, seque per medium integer agens quantus venit egreditur, et inde contra in occidentem ablatus aliquamdiu Gallias dirimit, post cursu in meridiem abducto hac intrat, accessuque aliorum amnium iam grandis et subinde grandior inter Volcas et Cavaras emittitur.	III, 33. . . . . unde dictus multo Galliarum fertilissimus Rhodanus amnis ex Alpibus se rapiens per Lemanum lacum segnemque deferens Ararem, nec minus se ipso torrentes Isaram et Druantiam. Lybica appellantur duo eius ora modica, ex his alterum Hispaniense, alterum Metapinum, tertium idemque amplissimum Massalioticum.

Mela	Plinius
9	
II, 78. Inter eum — (Lacydonem portum Massiliensium) — et Rhodanum Maritima Avaticorum stagno adsidet, Fossa Mariana partem eius amnis navigabili alveo effundit. alioquin litus ignobile est, lapideum ut vocant, in quo Herculem contra Albiona et Bergyon Neptuni liberos dimicantem cum tela defecissent, ab invocato Iove adiutum imbre lapidum ferunt. credas pluisse, adeo multi passim et late iacent.	III, 34. Vltra fossae ex Rhodano C. Mari opere et nomine insignes, stagnum Mastramela, oppidum Maritima Abaticorum, superque Campi Lapidei, Herculis proeliorum memoria, regio Anatiliorum et intus Tritollorum Vocontiorumque et Segovellaunorum, mox Allobrogum.
10	
II, 70. Sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Vesuvii montis adspectus, Pompei, Neapolis, Puteoli, lacus Lucrinus et Avernus, Baiae, Misenum, id nunc loci aliquando Phrygii militis nomen, Cumae, Liternum, Volturnus amnis, Volturnum oppidum, amoena Campaniae litora.	III, 61. In ora Savo fluvius, Volturnum oppidum cum amne, Liternum, Cumae Chalcidensium, Misenum, portus Baiarum, Bauli, lacus Lucrinus et Avernus, iuxta quem Cimmerium oppidum quondam, dein Puteoli colonia Dicaearchea dicti, postque Phlegraei campi, Acherusia palus Cumis vicina.
11	
II, 71. Sinuessa, Liris, Minturnae, Formiae, Fundi, Tarracina, Cires domus aliquando Circeia, Antium, Aphrodisium, Ardea, Laurentum, Ostia citra Tiberim in hoc latere sunt.	III, 56. 57. 59. (56) In principio est Ostia colonia a Romano rege deducta, oppidum Laurentum, lucus Iovis Indigetis, amnis Numicius, Ardea a Danae Persei matre condita. (57) dein quondam Aphrodisium, Antium colonia, Astura flumen et insula, fluvius Nymphaeus, Clostra Romana, Cercei quondam insula inmenso quidem mari circumdata, ut creditur Homero, et nunc planitie. (*Quae secuntur, postea sunt adiecta; cf. Brunnium p. 5*). — — (59) dein flumen Aufentum, supra quod Tarracina oppidum lingua Volscorum Anxur dictum, et ubi fuere Amyclae sive Amunclae a serpentibus deletae, dein locus Spe-

Mela	Plinius
	luncae, lacus Fundanus, Caieta portus, oppidum Formiae Hormiae dictum, ut existimavere antiqua Laestrygonum sedes. ultra fuit oppidum Pirae, est colonia Minturnae Liri amne divisa Glanica appellata, Sinuessa, extremum in adiecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatam. Hinc felix illa Campania.

12

Mela	Plinius
II, 69. Petrae quas Sirenes habitarunt Minervae promuntorium.	III, 62. Surrentum cum promuntorio Minervae Sirenum quondam sede.

13

Mela	Plinius
II, 115. Sicilia, aliquando ut ferunt continens et agro Bruttio adnexa, post freto maris Siculi abscissa est. id angustum et anceps alterno cursu modo in Tuscum modo in Ionium pelagus perfluit, atrox saevum et Scyllae Charybdisque saevis nominibus inclitum. Scylla saxum est, Charybdis mare, utrumque noxium adpulsis. ipsa ingens et tribus promuntoriis in diversa procurrens graecae literae imaginem quae delta dicitur efficit. Pachynum vocatur quod Graeciam spectat, Lilybaeum quod in Africam, Pelorias quod in Italiam vergens Scyllae adversum est.	III, 86. (Sicilia) . . . quondam Bruttio agro cohaerens, mox interfuso mari avolsa XVM in longitudinem freto, in latitudinem autem MD pass. iuxta Columnam Regiam. ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Graeci nomen dedere oppido in margine Italiae sito. (87) In eo freto est scopulus Scylla, item Charybdis, mare verticosum, ambo clara saevitia. Ipsius triquetrae, ut diximus, promuntorium Pelorum vocatur adversus Scyllam vergens in Italiam, Pachynum in Graeciam, [CCCCXLM ab eo distante Peloponneso]*) Lilybaeum in Africam.

14

Mela	Plinius
II, 117. . . . . Syracusas et in his mirabilem Arethusam. fons est in quo visuntur iacta in Alpheum amnem ut diximus Peloponnesiaco litori infusum.	III, 89. . . . . [Colonia] Syracusae cum fonte Arethusa. II, 225. Quidam vero odio maris ipsa subeunt vada, sicut Arethusa, fons Syracusanus in quo redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens Peloponnesiaco litori infunditur.

*) Vncis cum hic tum in proximis inclusimus, quae ex alio fonte hausta adiecit Plinius.

Mela	Plinius

15

II, 62. (Padus) Namque ab imis radicibus Vesuli montis exortus parvis se primum e fontibus colligit, et aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus adeo augescit atque alitur, ut se per septem ad postremum ostia effundat.

III, 117. Padus e gremio Vesuli montis celsissimum in cacumen Alpium elati finibus Ligurum Vagiennorum visendo fonte profluens condensque se . . (*omissis quae secuntur usque ad § 119*) . . . tamen qua largius vomit septem maria dictus facere.

16

II, 57. . . . . Pola quondam a Colchis ut ferunt habitata, in quantum res transeunt! nunc Romana colonia.

III, 129. . . . . colonia Pola [quae nunc pietas Iulia], quondam a Colchis condita.

17

II, 34. Tum Macedonum populi quot urbes habitant, quarum Pelles et maxima et illustris. alumni efficiunt, Philippus Graeciae domitor, Alexander etiam Asiae.

IV, 33. Macedonia postea CL populorum, duobus incluta regibus quondamque terrarum imperio, Emathia antea dicta.

18

II, 32. Qua continenti adhaeret a Xerxe in Graios tendente perfossus transnavigatusque est Athos, freto navigabili pervius.

IV, 37. . . . . Telos fretum quo montem Atho Xerxes Persarum rex continenti abscidit. . .

19

II, 30. Strymon, sicut diximus, amnis est longeque ortus et tenuis: alienis subinde aquis fit amplior, et ubi non longe a mari lacum fecit, maiore quam venerat alveo erumpit.

IV, 38. Dein Macedoniae terminus amnis Strymo ortus in Haemo. memorandum in septem lacus eum fundi priusquam dirigat cursum.

20

II, 26. Cynos sema, tumulus Hecubae, sive ex figura canis in quam conversa traditur, sive ex fortuna in quam deciderat, humili nomine accepto.

IV, 49. . . . . Cynos sema — ita appellatur Hecubae tumulus —, statio Achaeorum et turris.

Mela | **Plinius**

21

II, 110. In Epiro Echinades et olim Plotae, nunc Strophades.

IV, 55. In eurum ventum Strophades duae, ab aliis Plotae dictae.

22

II, 107. Euboea ad meridiem promuntorium Geraeston et Capherian ad septentrionem Cauneum extrudit, et nusquam lata duum milium spatium habet ubi artissima est, ceterum longa totique Boeotiae adposita angusto freto distat a litore. Euripon vocant, rapidum mare, et alterno cursu septiens die ac nocte septiens fluctibus in vicem versis adeo immodice fluens, ut ventos etiam ac plena ventis navigia frustretur.

IV, 63. Euboea et ipsa avolsa Boeotiae tam modico interfluente Euripo, ut ponte iungantur, ad meridiem promuntoriis duobus, Geraesto ad Atticam vergente et ad Hellespontum Caphereo, insignis, a septentrione Cenaeo, nusquam latitudinem ultra XLM passuum extendit, nusquam intra MM contrahit, sed in longitudinem universae Boeotiae ab Attica ad Thessaliam usque praetenta in CL mil. pass., circuitu vero CCCLXV.

23

II, 111. (Sporades) . . . . ab eis Sicinos, Siphnos, Seriphos, Rhenea, Paros, Mycon, Syros, Tenos, Naxos, Delos, Andros quia in orbem iacent Cyclades dictae.

IV, 65. 66. 67. (*eaedem insulae eodemque ordine enumerantur, sed ita ut, quae in quaque digna erant, tradantur.*) (65) in orbem sitae, unde et nomen traxerunt Cyclades.

24

I, 101. Dein priores terrae iterum iacent, exiturique in Pontum pelagi canalis angustior Europam ab Asia stadiis quinque disterminat, Thracius ut dictum est Bosphorus.

IV, 76. Inde exspatiatur aequor rursusque in artum coit. laxitas Propontis appellatur, angustiae Thracius Bosporus, latitudine D passum. cf. V, 149.

25

II, 5. Terra tum longe distenta excedens tenui radice litori adnectitur, post spatiosa modice paullatim se ipsa fastigat, et quasi in mucronem longa colligens latera facie positi ensis adlecta est. Achilles infesta classe mare Ponticum ingressus ibi ludicro certamine celebrasse victoriam, et cum ab armis

IV, 83. Insula Achillis tumulo eius viri clara, et ab ea CXXV milibus passuum paeninsula ad formam gladii in traversum porrecta, exercitationi eiusdem cognominata Dromos Achilleos. . . .

Mela | Plinius

quies erat, se ac suos cursu exercitavisse memoratur. ideo dicta est Dromos Achilleos.

26

II, 5. . . . . Panticapes, qui Nomadas Georgosque disterminat.

IV, 83. Vltra Panticapes amnis, qui Nomadas et Georgos disterminat.

27

II, 4. (Carcinites sinus). in eo urbs est Carcine, quam duo flumina Gerrhos et Ypacares uno ostio effluentia attingunt, verum diversis fontibus et aliunde delapsi. nam Gerrhos inter Basilidas et Nomadas evolvitur.

IV, 84. Oppida Navarum, Carcine. a tergo lacus Buges fossa emissus in mare. ipse Buges a Coreto Maeotae lacus sinu petroso discluditur dorso. recipit amnes Bugem, Gerrhum, Hypanim, ex diverso venientes tractu. nam Gerrhus Basilidas et Nomadas separat.

28

II, 1. Riphaeis montibus proxima, et huc enim pertinent, cadentes assidue nives adeo invia efficiunt, ut ultra ne visum quidem intendentium admittant.

IV, 88. Mox Riphaei montes et adsiduo nivis casu pinnarum similitudine Pterophoros appellata regio, pars mundi damnata a rerum natura et densa mersa caligine, neque in alio quam rigoris opere gelidisque Aquilonis conceptaculis.

29

III, 36. In Asiatico litore primi Hyperborei super aquilonem Riphaeosque montes sub ipso siderum cardine iacent. ubi sol non cotidie ut nobis, sed primum verno aequinoctio exortus autumnali demum occidit; ideo sex mensibus dies et totidem aliis nox usque continua est.

IV, 89. Pone eos montes ultraque Aquilonem gens felix, si credimus, quos Hyperboreos appellavere, annoso degit aevo, fabulosis celebrata miraculis. ibi creduntur esse cardines mundi extremique siderum ambitus semenstri luce et una die solis aversi (*fortasse rectius legitur* . . . . ambitus. semenstri luce et una die soles adversi: (*cf. Cuno, Forschungen i. Gebiete d. alt. Völkerkunde, Berol. a. 1871, I p. 127*), non, ut inperiti dixere, ab aequinoctio verno in autumnum. semel in anno solstitio oriuntur his soles, brumaque semel occidunt.

Mela

(37) terra angusta aprica per se fertilis. cultores iustissimi et diutius quam ulli mortalium et beatius vivunt. quippe festo semper otio laeti non bella novere, non iurgia, sacris operati maxime Apollinis, quorum primitias Delon misisse per virgines suas, deinde per populos subinde tradentes ulterioribus, mo remque eum diu et donec vitio gentium temeratus est servasse referuntur. habitant lucos silvasque, et ubi eos vivendi satietas magis quam taedium cepit, hilares redimiti sertis semet ipsi in pelagus ex certa rupe praecipites dant. id eis funus eximium est.

Plinius

regio aprica, felici temperie, omni adflatu noxio carens. domus iis nemora lucique, et deorum cultus viritim gregatimque, discordia ignota et aegritudo omnis, mors non nisi satietate vitae epulatis delibutoque senio luxu e quadam rupe in mare salientium. hoc genus sepulturae beatissimum. . . . . (91) Nec licet dubitare de gente ea, tot auctores produnt frugum primitias solitos Delum mittere Apollini quem praecipue colunt. virgines ferebant eas hospitiis gentium per annos aliquot venerabiles, donec violata fide in proximis accolarum finibus deponere sacra ea instituere, hique ad conterminos deferre, atque ita Delum usque. mox et hoc ipsum exolevit.

30

II, 99. Contra Thracium Bosphorum duae parvae parvoque distantes spatio et aliquando creditae dictaeque concurrere et Cyanitae vocantur et Symplegades.

IV, 92 (Insulae) in Ponto duae, MD pass. ab Europa, XIIII M ab ostio, Cyaneae, ab aliis Symplegades appellatae, traditaeque fabulis inter se concucurrisse, quoniam parvo discretae intervallo ex adverso intrantibus geminae cernebantur paulumque deflexa acie coeuntium speciem praebebant.

31

III, 56. In his esse Oeneas, qui ovis avium palustrium et avenis tantum alantur, esse equinis pedibus Hippopodas Sannalos, quibus magnae aures et ad ambiendum corpus omne patulae nudis alioquin pro veste sint, praeterquam quod fabulis traditur, auctores etiam quos sequi non piget invenio.

IV, 95. Feruntur et Oeonae, in quis ovis avium et avenis incolae vivant, aliae in quibus equinis pedibus homines nascantur Hippopodes appellati. Fanesiorum aliae, in quibus nuda alioqui corpora praegrandes ipsorum aures tota contegant.

32

III, 57. Thyle Belgarum litori adposita est, graiis et nostris cele-

IV, 104. Thyle, in qua solstitio nullas esse noctes indicavimus, can-

Mela	Plinius
brata carminibus. in ea, quod ibi sol longe occasurus exsurgit, breves utique noctes sunt, sed per hiemem sicut aliubi obscurae, aestate lucidae, quod per id tempus iam se altius evehens, quamquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima inlustrat; per solstitium vero nullae, quod tum iam manifestior non fulgorem modo, sed sui quoque partem maximam ostentat.	cri signum sole transeunte, nullosque contra per brumam dies. hoc quidam senis mensibus continuis fieri arbitrantur. — II, 186. . . . . ubi aestate lucidae noctes haut dubitare permittunt, id quod cogit ratio credi, solstiti diebus accedente sole propius verticem mundi angusto lucis ambitu subiecta terrae continuos dies habere senis mensibus, noctesque e diverso ad brumam remoto. quod fieri in insula Thyle Pytheas scribit.

33

III, 20. Regio quam incolunt omnis Comata Gallia. populorum tria summa nomina sunt, terminanturque fluviis ingentibus. namque a Pyrenaeo ad Garumnam Aquitani, ab eo ad Sequanam Celtae, inde ad Rhenum pertinent Belgae.	IV, 105. Gallia omnis Comata uno nomine appellata in tria populorum genera dividitur, amnibus maxime distincta. a Scalde ad Sequanam Belgica, ab eo ad Garumnam Celtica eademque Lugdunensis, inde ad Pyrenaei montis excursum Aquitanica. . . .

34

III, 13. In Astyrum litore Noeca est oppidum, et tres arae quas Sestianas vocant in paeneinsula sedent et sunt Augusti nomine sacrae illustrantque terras ante ignobiles.	IV, 111. Celtici cognomine Neri et super Tamarici, quorum in paeninsula tres arae Sestianae Augusto dicatae.

35

III, 8. . . . Tagi ostium, amnis gemmas aurumque generantis.	IV, 115. Tagus auriferis celebratur.

36

I, 25 (Mauretania). . . eius orae finis Mulucha: caput atque exordium est promuntorium quod Graeci Ampelusiam, Afri aliter, sed idem significante vocabulo appellant. (26) in eo est specus Herculi sacer, et ultra specum Tinge oppidum pervetus ab Antaeo, ut ferunt, conditum.	V, 2 (Mauretania). Promuntorium oceani extumum Ampelusia nominatur a Graecis. oppida fuere Lissa et Cotte ultra columnas Herculis, nunc est Tingi quondam ab Antaeo conditum.

Mela	Plinius
37	
III, 101. In harenis mons est Atlas, de se consurgens, verum incisis undique rupibus praeceps, invius, et quo magis surgit exilior, qui quod altius quam conspici potest usque in nubila erigitur . . .	V, 6 (Atlas). E mediis hunc harenis in caelum attolli prodidere, asperum, squalentem, qua vergat ad litora oceani, cui cognomen imposuit. . . .
38	
I, 29. . . . Montes sunt alti, qui continenter et quasi de industria in ordinem expositi ob numerum Septem, ob similitudinem Fratres nuncupantur. Tumuada fluvius, et Rusigada et Siga parvae urbes, et portus cui Magno est cognomen ob spatium. Mulucha ille quem diximus amnis est nunc gentium, olim regnorum quoque terminus Bocchi Iugurthaeque.	V, 18. Ipsa provincia ab oriente montuosa fert elephantos, in Abyla quoque monte et quos Septem fratres a simili altitudine appellant. freto inminent ii iuncti Abylae. ab his ora interni maris, flumen Tamuda navigabile, quondam et oppidum, flumen Laud et ipsum navigiorum capax, Rhysaddir oppidum et portus, Malvane fluvius navigabilis. (19) Siga oppidum ex adverso Malacae in Hispania sitae Syphacis regia, alterius iam Mauretaniae. namque diu regum nomina obtinuere. . . . Ab ea portus Magnus a spatio appellatus, civium Romanorum oppido. amnis Mulucha, Bocchi Massaesylorumque finis.
39	
I, 34. Dein tria promuntoria Candidum, Apollinis, Mercurii, vaste proiecta in altum, duos grandes sinus efficiunt. Hipponensem vocant proximum ab Hippone Diarryto, quod litori eius adpositum est. in altero sunt Castra Delia, Castra Cornelia, flumen Bagrada; Vtica et Carthago ambae inclitae, ambae a Phoenicibus conditae, illa fato Catonis insignis, haec suo, nunc populi Romani colonia, olim imperii eius pertinax aemula. . . .	V, 23. Tria promuntoria, Candidum, mox Apollinis adversum Sardiniae, Mercuri adversum Siciliae, in altum procurrentia duo efficiunt sinus, Hipponiensem proximum ab oppido quod Hipponem Dirutum vocant, Diarrhytum Graecis dictum propter aquarum inrigua. cui finitimum Theudalis immune oppidum, longius a litore. dein promuntorium Apollinis et in altero sinu Vtica civium Romanorum, Catonis morte nobilis, flumen Bagadra, locus Castra Cornelia, colonia Carthago magnae in vestigiis Carthaginis.

Mela	Plinius
40	
I, 35. Syrtis sinus est centum fere milia passuum qua mare accipit patens, trecenta qua cingit.	V, 26 (Syrtis minor). Polybius tradit ipsam C M passuum aditu, CCC M ambitu.
41	
I, 36. Super hunc ingens palus amnem Tritona recipit, ipsa Tritonis: unde et Minervae cognomen inditum est. . . .	V, 28. Ab his non procul a continente palus vasta amnem Tritonem nomenque ab eo accipit. . .
42	
I, 49. Asiae prima pars Aegyptus inter Catabathmon et Arabas; ab hoc litore penitus inmissa, donec Aethiopiam dorso contingat, ad meridiem refugit.	V, 48. Proxima Africae incolitur Aegyptus, introrsus ad meridiem recedens, donec a tergo praetendantur Aethiopes.
43	
I, 53 (Nilus) crescit porro, sive quod . . ., sive quod . . ., sive quod per ea tempora flantes Etesiae aut actas a septentrione in meridiem nubes super principia eius imbre praecipitant, aut venienti obviae adverso spiritu cursum descendentis inpediunt, aut harenis, quas cum fluctibus litori adplicant, ostia obducunt.	V, 55 (Nilus). Causas huius incrementi varias prodidere, sed maxime probabiles etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum ultra in ora acto mari, aut imbres Aethiopiae aestivos iisdem etesiis nubila illo ferentibus e reliquo orbe.
44	
I, 60. Viginti milia urbium Amasi regnante habitarunt et nunc multas habitant.	V, 60. Aegyptus super ceteram antiquitatis gloriam XX M urbium sibi Amase regnante habitata praefert, nunc quoque multis etiamsi ignobilibus frequens.
45	
I, 61. Arabia hinc ad Rubrum mare pertinet, sed illic magis laeta et ditior ture atque odoribus abundat, hic, nisi qua Cassio monte attollitur, plana et sterilis, portum admittit Azotum suarum mercium emporium; qua in altum abit adeo	V, 65. Vltra Pelusiacum Arabia est ad Rubrum mare pertinens et odoriferam illam ac divitem et beatae cognomine inclutam. Haec Cattabanum et Esbonitarum et Scenitarum Arabum vocatur, sterilis, praeterquam ubi Syriae confinia

Mela	Plinius
edita, ut ex summo vertice quarta vigilia ortum solis ostendat.	attingit, nec nisi Casio monte nobilis.
46	
I, 62. Syria late litora tenet, terrasque etiam latius introrsus, aliis aliisque nuncupata nominibus; nam et Coele dicitur et Mesopotamia et Damascene et Adiabene et Babylonia et Iudaea et Colophone (Sophene?). hic Palaestine et qua tangit Arabas, tum Phoenice; et ubi se Ciliciae committit Antiochia, olim ac diu potens. . . .	V, 66. Iuxta Syria litus occupat, quondam terrarum maxuma et pluribus distincta nominibus. namque Palaestine vocabatur qua contingit Arabas, et Iudaea et Coele, exin Phoenice, et qua recedit intus Damascena, ac magis etiamnum meridiana Babylonia, et eadem Mesopotamia inter Euphraten et Tigrin, quaque transit Taurum Sophene, citra vero eam Commagene, et ultra Armeniam Adiabene Assyria ante dicta, et ubi Ciliciam attingit Antiochia.
47	
I, 65. Phoenicen inlustravere Phoenices, sollers hominum genus et ad belli pacisque munia eximium: litteras et litterarum operas aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, inperitare gentibus, regnum proeliumque commenti. in ea est Tyros aliquando insula, nunc adnexa terris deficit, quod ab inpugnante quondam Alexandro iacta opera vici tenent.	V, 67. Ipsa gens Phoenicum in magna gloria litterarum inventionis et siderum navaliumque ac bellicarum artium. — V, 76. Tyros, quondam insula praealto mari DCC passibus divisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens. . . .
48	
I, 81. Taurus ipse ab Eois litoribus exsurgens vaste satis attollitur: dein dextro latere ad septentrionem, sinistro ad meridiem versus it in occidentem. . . .	V, 97. Iunctum mare Lycium est gensque Lycia, unde vastos sinus Taurus mons ab Eois veniens litoribus Chelidonio promuntorio disterminat, inmensus ipse et innumerarum gentium arbiter, dextro latere septentrionalis, ubi primum ab Indico mari exsurgit, laevo meridianus et ad occasum tendens. . . .
49	
I, 82. Vltra est Xanthus flumen	V, 100. . . Xanthus a mari XV M

Mela	Plinius
et Xanthos oppidum, mons Gracius et quae Lyciam finit urbs Telmesos.	passuum, flumenque eodem nomine. deinde Patara, quae prius Pataros, et in monte Sidyma, promuntorium Cragus. (101) Vltra par sinus priori. ibi Pinara et quae Lyciam finit Telmesus.

50

Mela	Plinius
I, 86. Post Basilicum Ionia aliquot se ambagibus sinuat, et primum a Posideo promuntorio flexum inchoans cingit oraculum Apollinis dictum olim Branchidae, nunc Didymi.	V, 112. Ionia ab Iasio sinu incipiens numerosiore ambitu litorum flectitur. in ea primus sinus Basilicus, Posideum promuntorium et oppidum oraculum Branchidarum appellatum, nunc Didymaei Apollinis, a litore stadiis XX. . . .

51

Mela	Plinius
I, 87. Ibi est Panionium sacra regio, et ob id eo nomine adpellata, quod eam communiter Iones colunt. ibi a fugitivis, ut aiunt, condita — nomen famae adnuit — Phygeta. ibi Ephesus et Dianae clarissimum templum, quod Amazones Asiae potitae consecrasse traduntur: ibi Caystros amnis: ibi Lebedos, Clariique Apollinis fanum, quod. . . .	V, 113. Regio omnibus Ionibus sacra et ideo Panionia appellata. (114) iuxta a fugitivis conditum — uti nomen indicio est — Phygeta fuit et Marathesium oppidum. . . . (115) Ephesus Amazonum opus, multis antea expetita nominibus. . . . . . . (116) inde Apollinis Clarii fanum, Lebedos.

52

Mela	Plinius
I, 90. Proxima regio, ex quo ab Aeoliis incoli coepit Aeolis facta, ante Mysia, et qua Hellespontum attingit, Troianis possidentibus Troas fuit.	V, 121. Aeolis proxima est, quondam Mysia appellata, et quae Hellesponto adiacet Troas.

53

Mela	Plinius
I, 96. Extra sinum sunt Rhoetea litora, a Rhoeteo et Dardania claris urbibus, Aiacis tamen sepulcro maxime inlustria.	V, 125. Extra sinum sunt Rhoetea litora, Rhoeteo et Dardanio et Arisbe oppidis habitata. fuit et Achilleon oppidum iuxta tumulum Achillis. . . . fuit et Aeantion a Rhodiis conditum in altero cornu, Aiace ibi sepulto.

Mela	Plinius
54	
II, 103. Parva et Canopos Nili ostio quod Canopicum vocant obvia est. Menelai gubernator Canopus ibi forte moriens nomen insulae, illa ostio dedit. Pharos nunc Alexandriae ponte coniungitur, olim, ut Homerico carmine proditum est, ab eisdem oris cursu diei totius abducta. . . .	V, 128. Insularum ante Asiam prima est in Canobico ostio Nili, a Canobo Menelai gubernatore, ut ferunt, dicta. altera iuncta ponte Alexandriae, (colonia Caesaris dictatoris), Pharos, quondam diei navigatione distans ab Aegypto, nunc e turri nocturnis ignibus cursum navium regens.
55	
II, 102. . . . Cyprus, ad ortum occasumque se inmittens, recto iugo inter Ciliciam Syriasque porrigitur, ingens, ut quae aliquando novem regna ceperit et nunc aliquot urbes ferat. . . .	V, 129. . . . Cyprum ad ortum occasumque Ciliciae et Syriae obiectam, quondam VIIII regnorum sedem.
56	
II, 102. Quae contra Tauri promuntorium inportune navigantibus obiacent, Chelidoniae nominantur.	V, 131. Deinde contra Tauri promuntorium pestiferae navigantibus Chelidoniae totidem (*h. e. tres*).
57	
II, 101. In illis singulae sunt iisdem nominibus urbes, in Rhodo tres quondam erant Lindos, Camiros, Ilisos (Ialysos).	V, 132. (Rhodos) habitata urbibus Lindo, Camiro, Ialyso, nunc Rhodo.
58	
I, 98. Post Plagaea et Scydace parvae Pelasgorum coloniae, quibus a tergo inminet mons Olympus, ut incolae vocant Mysius. is flumen Rhyndacum in ea quae secuntur emittit.	V, 142. Mox oppida Placia, Ariace, Scylace, quorum a tergo mons Olympus Mysius dictus, civitas Olympena. amnes Horisius et Rhyndacus ante Lycus vocatus.
59	
I, 102 (Pontus). . . olim ex colentium saevo admodum ingenio Axenus, post commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus dictus Euxinus.	VI, 1. Pontus Euxinus antea ab inhospitali feritate Axinus appellatus est.

Mela	Plinius
60	
I, 103. In eo primum Mariandyni urbem habitant ab Argivo, ut ferunt, Hercule datam. Heraclea vocitatur: id famae fidem adicit. iuxta specus est Acherusia ad manes ut aiunt pervius, atque inde extractum Cerberum existimant. tum Tios oppidum, Milesiorum quidem colonia, sed iam soli gentisque Paphlagonum.	VI, 4. . . . . a quo incipiunt Mariandyni, sinus oppidumque Heraclea Lyco flumini adpositum. abest a Ponti ore milibus CC. portus Acone veneno aconito dirus, specus Acherusia, flumina Paedopides, Callichorum, Sonautes, oppidum Tium ab Heraclea XXXVIII mil. passuum, fluvius Billis. (5) ultra quem gens Paphlagonia. . . .
61	
I, 109. Hinc orti montes longo se iugo et donec Riphaeis coniungantur exporrigunt; qui altera parte in Euxinum et Maeotida et Tanain, altera in Caspium pelagus obversi, Cerauni dicuntur: iidem aliubi Taurici . . . dicti nominibus. (110) . . . reliqua eius ferae incultaeque gentes vasto mari adsidentes tenent, Melanclea, Terrestrea, Sexsolicae, Coraxi, Cleptyrophagi, Heniochi, Achaei. . . .	VI, 15. Subicitur Ponti regio Colica, in qua iuga Caucasi ad Riphaeos montes torquentur, ut dictum est, altero latere in Euxinum et Maeotium devexa, altero in Caspium et Hyrcanium mare. Reliqua litora ferae nationes tenent, Melanchlaeni, Coraxi urbe Colchorum Dioscuriade iuxta fluvium Anthemunta nunc deserta, quondam. . . .
62	
I, 116. Primi Maeotidae Gynaecocratumenoe regna Amazonum.	VI, 19. Primi Sauromatae Gynaecocratumenoe, Amazonum conubia.
63	
III, 59. Ab his in eurum cursus inflectitur, inque oram terrae spectantis orientem. pertinet haec a Scythico promuntorio; adposita (*cf. Cuno l. s. s. p.* 138) primum ob nives invia, deinde ob inmanitatem habitantium inculta. Scythae sunt Androphagoe et Sagae, distincti regione, quia feris scatet, inhabitabili. vasta deinde iterum loca beluae infestant, usque ad montem mari inminentem nomine Tabim.	VI, 53. A Caspio mari Scythicoque oceano in Eoum cursus inflectitur ad orientem conversa litorum fronte. inhabitabilis eius prima pars a Scythico promuntorio ob nives, proxima inculta saevitia gentium. Anthropophagi Scythae insident humanis corporibus vescentes. ideo iuxta vastae solitudines ferarumque multitudo haut dissimilem hominum inmanitatem obsidens. iterum deinde Scythae ite-

Mela	Plinius
	rumque deserta cum beluis, usque ad iugum incubans mari quod vocant Tabim.
64	
III, 61. India non Eoo tantum adpositum pelago, sed et ei quod ad meridiem spectat, Indicum diximus, et hinc Tauri iugis, ab occidente Indo finita tantum spatium litoris occupat, quantum per sexaginta dies noctesque velificantibus cursus est.	VI, 56. ... Indorumque gens incipit non Eoo tantum mari adiacens, verum et meridiano quod Indicum appellavimus. ... usque ad Indum amnem qui est ab occidente finis Indiae. (57) Conplures autem totam ipsius longitudinem XL dierum noctiumque velifico navium cursu determinavere. ...
65	
III, 68 (Ganges). .... quando angustissime fluit decem milia passuum patens, in septem ora dispergitur.	VI, 65 (Ganges). ... ubi minimum, VII milium passuum latitudine, ubi modicum, stadiorum C, altitudine nusquam minore passuum XX. ...
66	
III, 69. Indus ex monte Caro parnaso exortus et alia quidem flumina admittit, sed clarissima Copen, Agasinum, Hydaspen.	VI, 71. Indus incolis Sindus appellatus in iugo Caucasi montis quod vocatur Paropamisus, adversus solis ortum effusus et ipse, unde viginti recipit amnes, sed clarissimos Hydaspen quattuor alios adferentem, Catabam tris, per se vero navigabiles Acesinum et Hysephim. ...
67	
III, 66. Nysa est clarissima et maxima, montium Meros Iovi sacer. famam hinc praecipuam habent; in illa genitum, in huius specu Liberum arbitrantur esse nutritum, unde graecis auctoribus ut femori Iovis insitum dicerent aut materia ingessit aut error.	VI, 79. Nec non et Nysam urbem plerique Indiae adscribunt montemque Merum Libero Patri sacrum, unde origo fabulae Iovis femine editum.
68	
III, 70. Ad Tamum insula est Chryse, ad Gangen Argyre: altera	VI, 80. Extra ostium Indi Chryse et Argyre, fertiles metallis, ut cre-

Mela	Plinius
aurei soli, ita veteres tradidere, altera argentei, atque ut maxime videtur, aut ex re nomen aut ex vocabulo fabula est. Taprobane aut grandis admodum insula aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur, sed quia habitatur, nec quisquam circum eam isse traditur, prope verum est.	do. nam quod aliqui tradidere aureum argenteumque his solum esse, haut facile crediderim. . . . (81) Taprobanen alterum orbem terrarum esse diu existimatum est Antichthonum appellatione. [ut insulam esse liqueret Alexandri Magni aetas resque praestitere. Onesicritus . . .]

69

III, 72. Rubrum mare Graeci, sive quia eius coloris est, sive quia ibi Erythras regnavit Erythran thalassan appellant. . . . sed quas ripas inflexerat bis inrumpit, duosque iterum sinus aperit. Persicus vocatur dictis regionibus propior, Arabicus ulterior.	VI, 107 (mare). . . . quod Rubrum dixere nostri, Graeci Erythrum a rege Erythra, aut, ut alii, solis repercussu talem reddi existimantes colorem, alii ab harena terraque, alii tali aquae ipsius naturae. (108) sed in duos dividitur sinus. is qui ab oriente est Persicus appellatur, XXV M passuum circuitu, ut Eratosthenes tradit. . . . rursus altero ambitur sinu Arabico nominato. . . . et situm eius humani capitis effigie.

70

III, 75. In ipso Carmanii navigantium dextera positi sine veste ac fruge, sine pecore ac sedibus, piscium cute se velant, carne vescuntur, praeter capita toto corpore hirsuti.	VI, 109. In Carmaniae angulo Chelonophagi, testudinum superficie casas tegentes, carne vescentes. a flumine Arabi promuntorium ipsum inhabitant praeter capita toto corpore hirti coriisque piscium vestiti.

71

III, 94. Vltra hunc sinum mons altus, ut Graeci vocant Theon, perpetuis ignibus flagrat. ultra montem viret collis longo tractu longis litoribus obductus, unde visuntur patentes magis campi quam ut perspici possint, Panum Satyrorumque.	VI, 197. . . . mons excelsus aeternis ardet ignibus, Theon ochema dictus a Graecis. a quo navigatio quatridui, promuntorium quod Hesperu ceras vocatur confine Africae iuxta Aethiopas Hesperios. quidam et in eo tractu modicos colles amoena opacitate vestitos Aegipanum Satyrorumque produnt.

72

III, 93. . . . in qua tantum feminas esse narrant toto corpore	VI, 200. Penetravit in eas Hanno Poenorum imperator prodidit-

Mela	Plinius
hirsutas et sine coitu marium sua sponte fecundas, adeo asperis et efferis moribus, ut quaedam contineri ne reluctentur vix vinculis possint. hoc Hanno rettulit. . . .	que hirta feminorum corpora, viros pernicitate evasisse, duarumque Gorgadum cutes argumenti et miraculi gratia in Iunonis templo posuit. . . .

His quae exscripsimus exemplis adde quae satis habemus numeris significare:

Pl.	M.	Pl.	M.
III, 75	= II, 69. I, 17	V, 135	= II, 101
IV, 24	= II, 46	V, 139	= II, 101
IV, 33	= II, 34	VI, 18	= I, 111
IV, 75	= II, 26	VI, 66	= III, 65. 63.
IV, 101	= III, 24		

Neque omittenda sunt quae Mela et Plinius aut soli vel potius primi exhibent, aut longe aliter ac ceteri tradunt: quode cf. Tschuckium ad II, 99 'Symplegades'; adde III, 20 'Gallia', II, 115 'Pachynum', II, 81 'Atax', II, 76 'Rhodani ostia' II, 78 'Fossae Marianae', III, 70 'lacus Lucrinus', II, 62 'septem maria', II, 26 'tumulus', II, 111 'Cyclades', alia.

Ex his fragmentis, quippe quae ad omnes fere litorum partes spectent, iam illud, spero, negari nequit consectarium esse, Plinium in orbe describendo περίπλουν aut περιήγησιν aliquam adhibuisse: quo periplo tamquam tabulae lineamentis quibusdam usus esse videtur, quibus reliquam descriptionem ex aliis desumptam includeret. Est enim haec talis, ut una cum litorum descriptione ex uno fonte fluxisse non videatur. Nam primum quae de Asiae et Africae partibus interioribus traduntur, ipse Plinius Muriano, Domitio Corbuloni, Iubae, aliis deberi significat (cf. V, 83. VI, 23. VI, 171); quae autem de imperii Romani interioribus referuntur, ea item non ex eodem fonte unde ipsum periplum manavisse scriptor ea ratione, quam in Italia describenda secutus est, indicare videtur III, 46: 'Nunc ambitum eius urbesque enumerabimus, qua in re praefari necessarium est auctorem nos divum Augustum secuturos, descriptionemque ab eo factam Italiae totius in regiones XI, sed ordine eo qui litorum tractu fiet urbium quidem vicinitates oratione utique prae-

propera servari non posse, itaque interiore exin parte digestionem in litteras eiusdem nos secuturos, coloniarum mentione signata quas ille in eo prodidit numero'.

Et quod de Italia valet, idem in reliquas regiones cadere si contendo, id iam minus audacter dictum videbitur, ubi in singulis terris quae de litoribus traduntur, cum eis contuleris quae de interioribus memorantur. Videntur enim, quae in altera exstant descriptione, non tam ex periplo quam ex enumeratione quadam provinciarum Romanarum desumpta esse, quia populi, coloniae, oppida et civium Romanorum et Latinorum veterum et foederatorum et stipendiaria enumerantur, quae in quaque iurisdictione tum aut erant aut fuerant. Cf. Detlefsenum Philologi t. XXX (a. 1871) p. 268 sqq. In altera autem descriptione non nominantur tantum singula, sed simul traduntur quae in quoque loco memoratu digna visa sunt, velut historica, naturalia, alia, ita ut haec descriptio vel maxime ab altera abhorreat. Quare facere non possumus quin, et quae de litoribus traduntur et quae de interioribus provinciarum Romanarum partibus referuntur, ex eodem auctore deprompta esse negemus.

Iam si, quis is fuerit, quaerimus, ex quo Plinius litoralem descriptionem excerpserit, unum ex Romanis auctoribus eum fuisse credendum est. Nam pluribus illa non potest deberi, nisi forte Melam et Plinium eisdem auctoribus uno eodemque ordine usos esse existimabimus. Romanum vero eum fuisse ipsa verba indicio sunt, cum toties 'nos' i. e. Romani Graecis opponantur, id quod Plinius, ubi Graecos sequitur (ut Iubam, Isidorum, alios), facere non solet: excepto fortasse eo loco qui est IV, 120, ubi 'nostri Tartesson appelant' falso tradidit (cf. III, 7). Atque in hoc fonte eruendo illud primum demonstrandum esse puto, errasse eos qui Melam illum auctorem de quo agimus fuisse existimaverunt. Is enim tantum abest ut probetur a Plinio, ut reprehendi videatur his quos subieci locis III, 39: 'nec ignoro ingrati ac segnis animi existimari posse merito, si obiter atque in transcursu ad hunc modum' (cf. § 38) 'dicatur terra omnium terrarum alumna' (Italia) e. q. s.: quae verba ad Melam spectare quivis persentiscat, qui summatim et breviter ab

illo Italiam esse descriptam meminerit. — III, 127: (Histria) 'quam cognominatam a flumine Histro in Hadriam effluente e Danuvio amne eodemque Histro exadversum Padi fauces, contrario eorum percussu mari interiecto dulciscente, plerique dixere falso, et Nepos etiam Padi adcola'. In 'plerorumque' autem numero Mela habendus est: cf. II, 56. — Itaque valde dubitandum videtur, num Plinius eum, cui segnitiem imperitiamque exprobraverit, secutus sit primarium. Tenendum est deinde, id quod ex indicis tabula apparet, Melam ante § 70 a Plinio non esse consultum, quamquam ab initio libri III periplum hunc nostrum in usum esse vocatum ex ipsis fragmentis elucet: cf. fr. 2—11. Huc adde quod Plinius in illis fragmentis interdum plura praebet quam Mela: cf. fr. 11. 15. 27. 28. 29. 38. 39. 44. 47. 51. 53. 63. 66, alia. Nam quod aiunt alterum Melae de chorographia opus extitisse, rectissime Tschuckius docuit eius verba: 'dicam autem alias plura et exactius, nunc ut quaeque erunt clarissima et strictim', non ad alteram chorographiam pertinere, sed ita explicanda esse, ut nihil aliud Mela significaverit nisi hoc: quae in expositione unicuique parti praeposita obiter tantum atque in transcursu dicat, de eis in ipsa argumentatione uberius se esse acturum. Quibus de causis non dubito quin ea, quae de litoribus traduntur, alii auctori debeantur. Ex quo efficitur, id quod caput rei est, eundem periegeten et a Mela et a Plinio esse consultum. Nam casu factum esse, ut eadem verba ac Mela et pari modo coniuncta Plinius toties poneret, nemo sibi persuadebit: cf. fr. 3. 5. 39. 44. 49. 51. 53. 56, alia.

Dixi de communi fonte: nunc is quis fuerit, videamus. In qua quaestione multum me profecisse H. Brunnii dissertatione libenter confiteor, praesertim cum videam non habita eius ratione fructum non esse sperandum. Apparet enim ex indicis tabula hunc nostrum auctorem, cuius ante § 70 multiplex usus sit, unum ex eis necessario credendum esse, qui ante Antiatem in indice laudantur. E quibus porro ei sunt excludendi, qui in indicibus librorum IV. V. VI non recensentur. Quo enim duce Plinius in omnibus de chorographia libris usus est, eius ipsius nomen in indices non esse ab eo

relatum prorsus abhorret a probabilitate. Quattuor igitur restant auctores: Nepos, Agrippa, Varro Atacinus, M. Varro (i. e. Reatinus), de quibus singulis quid sit statuendum, nunc inquiramus.

Ac Nepos quidem, quamquam geographica quaedam fortasse scripsit, quippe qui in eorum numero laudetur, ʻquibus in descriptione geographica proprie dicta usus est Plinius' (cf. Brunnium p. 5), tamen tam parvi ab ipso Plinio aestimari videtur, ut totam orae maritimae descriptionem ei deberi nemo facile credat. Vituperatur enim his locis: V, 4: ʻminus profecto mirentur portentosa Graeciae mendacia de iis et amne Lixo prodita, qui cogitent nostros nuperque paullo minus monstrifica quaedam de iisdem tradidisse, praevalidam hanc urbem' (i. e. Lixum) ʻmaioremque magna Carthagine, praeterea ex adverso eius sitam et prope inmenso tractu ‚ab Tingi, quaeque alia Cornelius Nepos avidissime credidit'. — III, 127: (Histrum in Hadriam effluere) ʻplerique dixere falso et Nepos etiam Padi adcola'. Quorum locorum posterior eo plus valere debet, quod Plinius non ita multo ante (III, 1) secuturum se esse hanc rationem dixerat: ʻQuapropter auctorem neminem unum sequar, sed ut quemque verissimum in quaque parte arbitrabor, quoniam commune ferme omnibus fuit, ut eos quisque diligentissime situs diceret in quibus ipse prodebat. ideo nec culpabo nec coarguam quemquam.' Reliqua Nepotis fragmenta, quae addito nomine ei tribuuntur, excepto uno de quo mox dicemus, nihil aliud probant nisi hoc: Plinium sicut ex aliis auctoribus, si quas diversas exhiberent mensuras, ne unius auctoritati se committeret, ita etiam ex Nepote nonnullas excerpsisse, quoque loco aptissimum videretur, operi suo inseruisse. — Maioris contra vel potius maximi momenti ad persolvendam hanc quaestionem est fragmentum quod VI, 199 extat. Ibi enim Cernes insulae mentio fit, quam Nepos contra Carthaginem esse contendit. Auctor autem ille, quem Plinius primarium secutus est, eo ordine, qui litorum tractu fit, in orbe describendo usus est. Nepos igitur hic auctor fuisse non potest, nam si fuisset, Cerne insula una cum Meninge (V, 42) commemoranda fuit.

Item M. Agrippam, de quo deinceps dicendum est, illum periegeten fuisse negandum videtur. Ac primum quidem statim id perspicuum fore spero, ubi Agrippae commentariis deberi ostendero, quae a Plinio in enumerandis civitatibus Romanis traduntur: quode cf. Detlefsenum Philol. t. XXX. p. 269. 272 sqq. Namque series illas Plinium non ab semet compositas, sed ex alio desumptas exhibere ex hoc uno loco intellegi potest, qui legitur III, 36: 'adiecit formulae Galba imperator' .... Augusti autem temporibus eas esse compositas credendum est propterea, quod interdum eae provinciarum divisiones servantur, quas non diutius quam Augustus regnaverit durasse constat: cf. Petersenum Musei Rhen. t. IX (a. 1854) p. 100. Quam ob rem si perlustramus omnes eos auctores, qui illo tempore fuere a Plinioque sunt adhibiti, de alio nullo cogitare licet, nisi de Augusto h. e. Agrippa: quando hunc constat chorographiam edidisse ex commentariis ab illo relictis: de quo videndi post F. Ritschelium Musei Rhen. novi t. I (a. 1842) p. 511 sq. Petersenus ibid. t. VIII (a. 1853) p. 391 sqq., Muellenhoffius 'über die Weltkarte und Chorographie des Kaiser Augustus' (ed. Kiliae a. 1856) p. 25.

Atque in Italia describenda Augustum secutum se esse ipse Plinius confitetur III, 17. Eundem autem in reliquis Romanorum provinciis consuluisse videtur, cum, quae de his traduntur, talia sint qualia quae de Italia memorantur. Accedit quod ex indice capere coniecturam licet. Cum enim ante § 17 civitates Hispaniarum et Galliae Narbonensis enumerentur, necesse est auctorem esse unum ex eis, qui ante § 17 recensentur. Excludendi sunt et qui ante Augustum fuere, et qui in reliquis de chorographia libris non nominantur, ut Turranius Gracilis. Restant Agrippa et Augustus. Quare equidem non dubito quin, quae de interioribus provinciarum Romanarum partibus referuntur, Augusto Agrippaeque debeantur. Hanc igitur descriptionem cum Agrippa confecerit, periplum illum composuisse non potest, quoniam utramque descriptionem ex eodem fonte non fluxisse supra dictum est. Ac ne quis dicat factum esse posse, ut Plinius in provinciis describendis commentarios, in litoribus alterum quoddam

Agrippae opus attigerit: nec omnino peculiare de litoribus opus ab Agrippa confectum est (cf. Petersenum Mus. Rhen. IX p. 396), nec in altera commentariorum parte credi debet periplum exstitisse, quia, quae in priore parte exstiterunt, nihil aliud fuisse videntur nisi epitome et quidem ab altera manu postea ex commentariis excerpta: cf. Petersenum Mus. Rh. VIII p. 208. Tenendum est praeterea commentarios Agrippae propter bellicas rationes in tabellario principis absconditos fuisse: quode cf. Ritschelium l. s. s. p. 518, Frandseni de Agrippa librum p. 191 sqq., Forbigeri 'Handbuch d. alt. Geogr.' p. 473 adn. Quos quidem commentarios Plinius ut inspiceret, ab Vespasiano amico facillime impetrare potuit (cf. Frandsenum p. 188), Mela non item. Accedit quod Plinius ex illo periplo nonnulla (fr. 14 et 32) in librum II inseruit secundum ea, quae III, 2 proposuerat, ubi 'locorum nuda nomina' inquit 'et quanta dabitur brevitate ponentur, claritate causisque dilatis in suas partes: nunc enim sermo de toto est'. Agrippam igitur, quia nomen eius in indicem libri II non est relatum, etiam periplum de quo agitur confecisse negandum est.

Eadem de causa ne Varro quidem Atacinus illum periplum composuisse potest, quamquam ab eo chorographiam conditam esse constat: cf. Riesium in Varr. Sat. Menipp. p. 263 sqq. Sed quoniam id opus poetarum more confectum est, obstant non modo mensurae, quae in periplo a Mela et Plinio in usum adscito positae erant (cf. fr. 22. 24. 40. 64. 65), sed etiam delectus et structura verborum. Conferas fragmenta, quae ex illo periplo supra exhibui, quibus haud scio an quicquam cogitari possit a poetico colore alienius. Quoniam igitur nec Nepos nec Agrippa nec Varro Atacinus credi potest ille auctor fuisse, tamquam necessitate aliqua ad Varronem Reatinum ducimur. Atque in hunc ipsum omnia commodissime conveniunt. Primum enim de ora maritima eum scripsisse certum est: de quo vide Ritschelium disputantem Musei Rhen. novi t. VI (a. 1848) p. 534 et 555 cum adnot. 12, item si libuerit Boissierum in 'Etude sur la vie et les ouvrages de Varron' (ed. Parisiis a. 1861) p. 325. Primarium autem quin Plinius eum sit secutus, eam

ob causam dubitari nequit, quod in omnibus de chorographia libris primo loco aut inter primos laudatur. Sunt praeterea loci nonnulli, qui nec ante nec post Varronem conscripti esse videantur, ut fr. 10, ubi Liternum coloniam esse ab Augusto deductam nec Mela nec Plinius tradiderunt. Eidem Galliam secundum Caesarem in tres partes diviserunt Augusto aliter dividente.

Atque haec quidem hactenus. Restat ut quaeramus, utrum ex eodem periplo an ex alio libro Varroniano deprompta sint fragmenta, quae adscripto nomine Varroni tribuuntur. Sunt autem ea haec quae infra scripsi.

1

III, 8. In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Hiberos et Persas et Phoenicas Celtasque et Poenos tradit.

2

III, 45. (Italia) abest a circumdatis terris Histria ab Liburnia quibusdam locis centena M pass., ab Epiro et Illyrico L, ab Africa minus CC, ut auctor est M. Varro, ab Sardinia CXX M, ab Sicilia MD, a Corcyra minus LXXX, ab Issa L.

3

III, 95. (Magna Graecia) patet LXXXVI M pass., ut auctor est Varro; plerique LXXV M fecere.

4

III, 101. Hoc intervallum pedestri continuare transitu pontibus iactis primum Pyrrhus Epiri rex cogitavit, post eum M. Varro, cum classibus Pompei piratico bello praeesset; utrumque aliae impedivere curae.

5

III, 109. In agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuetur insula, Italiae umbilicum esse M. Varro tradit.

6

III, 142. (Narona colonia.) M. Varro LXXXVIIII civitates eo ventitasse auctor est.

7

IV, 62. (Ceos.) Ex hac profectam delicatiorem feminis vestem auctor est Varro.

8

IV, 66. Longe clarissima et Cycladum media ac templo Apollinis et mercatu celebrata Delos, quae diu fluctuata, ut proditur, sola motum terrae non sensit ad M. Varronis aetatem. [Mucianus prodidit bis concussam].

9

IV, 77. . . circuitu vero totius Ponti viciens semel, ut auctor est Varro et fere veteres. [Nepos Cornelius CCCL milia adicit, Artemidorus |XXVIIII|. XVIIII M facit, Agrippa |XXIII|. LX mil., Mucianus |XXIIII|. XXV M.] Simili modo de Europae latere mensuram alii XXIIII. LXXVIIII M D determinavere, alii |XI| milia. M. Varro ad hunc modum metitur: ab ostio Ponti Apolloniam CLXXXVII M D pass., Callatim tantundem, ad ostium Histri CXXV, ad Borysthenen CCL. Cherronesum Heracleotarum oppidum CCCLXXV M pass., ad Panticapaeum, quod aliqui Bosporum vocant, extremum in Europae ora, CCXII M D, quae summa efficit |XIII|. XXXVII M D. [Agrippa a Byzantio ad flumen Histrum DLX, (cf. IV. 46), inde Panticapaeum DCXXXV].

10

IV, 115. Erratum et in omnibus inclutis. ab Minio, quem supra diximus, CC M pass., ut auctor est Varro, abest Aeminius, quem alibi quidam intellegunt et Limaeum vocant, Oblivionis antiquis dictus multumque fabulosus. ab Durio Tagus CC M passuum interveniente Munda. Tagus auriferis harenis celebratur. ab eo CLX M pass. promuntorium Sacrum e media prope Hispaniae fronte prosilit. XIIII M pass. inde ad Pyrenaeum medium colligi Varro tradit, ad Anam vero, quo Lusitaniam a Baetica discrevimus, CXXVI M passuum, a Gadibus CII M pass. additis.

11

VI, 38. (Caspium mare). Inrumpit autem, artis faucibus et in longitudinem spatiosis, atque ubi coepit in latitudinem pandi lunatis obliquatur cornibus, velut ad Maeotium lacum ab ore descendens, silicis, ut auctor est M. Varro, similitudine.

12

VI, 51. (Casp. mare). Haustum ipsius maris dulcem esse et Alexander Magnus prodidit et M. Varro talem perlatum Pompeio iuxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haut dubie influentium amnium victo sale. (52) adicit idem Pompei ductu exploratum in Bactros VII diebus ex India perveniri ad Iachrum flumen quod in Oxum influat, et ex eo per Caspium in Cyrum subvectos, et V non amplius dierum terreno itinere ad Phasim in Pontum Indicas posse devehi merces.

Omnia quae exhibui fragmenta negari vix potest ex ipso Varrone esse deprompta. Tenendum est enim, quid de Romanis auctoribus Plinius existimaverit in praefatione § 21: 'est enim benignum, ut arbitror, et plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris, non ut plerique ex iis quos attigi fecerunt; scito enim conferentem auctores me deprehendisse a iuratissimis et proximis veteres transcriptos ad verbum neque nominatis' e. q. s. Quod idem in geographos cadere hinc potest intellegi, quod Mela huic Plinianae sententiae adsentitur — § 17 p. 65 ed. Parth. Itaque quae ex Romanis auctoribus addito nomine referuntur, e singulis singillatim excerpta credenda sunt. Quapropter non recte videtur L. Brunnius sensisse, cum fragmenta 8 et 9 Muciano deberi contendit. In altero enim quattuor verba haec 'Mucianus prodidit bis concussam' tam abrupte posita sunt, ut in verborum continuitatem postea inserta esse primo adspectu doceamur. Nam si quae antecedunt Muciano deberentur, dicendum fuerat 'ex quo' vel simile quiddam. Quare facere non possum quin cum Silligio arbitrer Plinium perinde ac saepissime alibi, ne unius auctoritati sese committeret, quae Mucianus tradiderat Varronianis adiecisse. Idemque de altero fragmento statuendum erit. Nam quae Varroni tribuitur mensura, eadem est atque summa distantiarum, quae inde a § 82 traduntur, ubi Varronis de litoribus opere Plinium usum esse ex eis quae supra dicta sunt conicere licet. Non est igitur, cur mensuram § 82 traditam ex alio depromptam esse putemus.

Ex orae autem maritimae descriptione fragmenta supra collocata derivata esse non videntur. Nam primum in verborum continuitatem ea post demum inserta esse cum ipsa verba indicio sunt ex parte abrupte posita, tum fragmenta 10 et 6. In altero enim eadem, sed emendatiora traduntur, quae non ita multo ante (IV, 112 et 113) ex Varrone, ut ex eis quae de orae maritimae descriptione supra diximus apparet, sunt deprompta. Quare quoniam Varronem semet ipsum in eodem libro sic vituperasse non est veri simile, ex alio fonte fragmentum 10 fluxisse credendum est. Idemque in alterum fragmentum cadere existimo. Namque haec verba:

'ex hac profectam delicatiorem feminis vestem auctor est Varro' loco alieno in textum esse inserta videntur. Non enim de Cea, sed de Co insula haec traduntur (cf. Harduinum XX adn. 18): ut fragmentum illud inserendum fuerit in lib. V § 134, ubi de Co agitur. In his igitur fragmentis, quia postea sunt inserta, nomen auctoris Plinius adiecit. Eandemque rationem nihil obstat quominus Plinium in ceteris quoque, quae modo exhibui, fragmentis Varronianis secutum esse putemus.

Quodsi iam quaerimus, unde fragmenta illa hausta sint, neminem, ut opinor, adversantem habebimus, si ea ex alio Varronis opusculo geographico a Plinio esse excerpta dixerimus. Geographica autem praeter Periplum exhibebant libri III Legationum, Disciplinarum libri, Ephemeris navalis, Antiquitates: quos libros in hac causa iam F. Ritschelius composuit Musei Rhen. n. t. VI p. 555 adn. 12. Ex his autem libris excludendi sunt Ephemeris navalis et Antiquitates: illa quidem, quod geographica proprie dicta non ita multa ibi exstitisse verisimile est (cf. Ritschelium p. 532 sq.); hae autem, quod ad Italiam tantum spectabant. Restant igitur Legationes et Disciplinae. De quibus quamquam ad certum iudicium vix poterimus pervenire (cf. eundem p. 514. 528. 555 adn. 12), tamen quod mihi ad probabilitatem proxime accedere visum est, paucis significabo.

Ac primum quidem illud puto non esse neglegendum, fragmenta illa omnia ad eas tantum regiones pertinere, quas ipse Varro legatus aggressus est (cf. Ritschelium p. 500 sqq.) h. e. Hispanias, Graeciam magnam et insulas, Ponticam regionem: de quibus Varronem in l i b r i s l e g a t i o n u m uberius et distinctius dixisse probabilis mihi quidem Ritschelii esse coniectura videtur. Praeterea ad ea animus est advertendus, quae Plinius posuerat III, 1, haece: 'quapropter auctorem neminem unum sequar, sed ut quemque verissimum in quaque parte arbitrabor, quoniam commune ferme omnibus fuit, ut eos quisque diligentissime situs diceret in quibus ipse prodebat.' Commodeque huic meae sententiae illud favet, quod legationum libri necesse est post annum 705, itaque post periplum scripti sint: cf. Ritschelium p. 498. — Vnus

de lacu Cutiliae locus non videtur satis convenire. Sed tamen de Cutiliae lacu in legationibus Varro eodem iure dicere potuit, quo in libros rerum rusticarum geographica inseruit: cf. Ritschelii de disciplinis commentationem § 19. Postremo accedit, quod praeter orae maritimae descriptionem et legationum libros alium Varronis librum geographicum a Plinio in usum esse vocatum ne levissimo quidem vestigio indicatur.

Quodsi ita res se habet — et est id sane mihi persuasum — dubium non esse videtur quin Plinius, quae de litoribus proposuit, ex Varronis periplo (exceptis quae addito nomine aliis deberi ipse indicavit), quae autem Varronis nomine adscripto tradidit, ex legationum libris derivaverit. Quamquam non negaverim factum esse posse, ut sive imprudentia sive consilio, in minoribus potissimum mensuris afferendis, interdum nomen auctoris omiserit.

Caput III.

De Isidoro.

In Nat. hist. lib. VI § 141 Plinius haec habet: 'Hoc in loco genitum esse Dionysium terrarum orbis situs recentissimum auctorem, quem ad commentanda omnia in orientem praemiserit divos Augustus ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res maiore filio, non me praeterit'. Ibi Isidorum pro Dionysio substituendum esse rectissime suspicatus est Bernhardyus ad Dionys. Perieg. p. 496 adn., cui Muellerus adsentitur in Geogr. gr. min. vol. I proleg. p. LXXXI. Nam Dionysius ille, quem Plinius in librorum IV et V indicibus recenset, cum sit in numero eorum, quorum nomina in retractando demum opere a Plinio adiecta esse supra ostendimus, cumque ea Isidoro deberi mox demonstraturi simus, idem, qui in loco supra exhibito laudatur, esse non potest, siquidem recte hunc auctorem Plinius dicit novissimum. Duos

autem eiusdem nominis auctores distinguere Plinius addito cognomine solet, velut Varrones, Ateios. Quod cum illo loco factum non sit, non potest non valde suspectum Dionysii nomen esse. Accedit quod Plinius novissimum quemque auctorem, quoad eius fieri potuit, praeter alios secutus esse videtur, ut qui VI, 23 haec scribat: 'Nunc reddatur ingens in mediterraneo sinus, in quo multa aliter ac veteres proditurum me non eo infitias, anxia perquisita cura rebus nuper in eo sinu gestis a Domitio Corbulone': quo adde V, 83. Quapropter Dionysius si novissimus auctor fuisset, Plinius eum haud dubie secutus esset nomenque eius in indices rettulisset, id quod factum non est. Itaque satis probabilis mihi quidem Bernhardyi coniectura videtur, praesertim cum Isidorum, quamquam in retractando demum opere, Plinius ducem primarium habuisse videatur. De quo nunc paucis mihi agendum esse video.

Ac primum quidem illud demonstrandum esse puto, Isidorum fuisse eum cui insularum nomina debeantur, quae postea a Plinio addita esse supra expositum est. Cum enim non sit veri simile pluribus in retractanda insularum descriptione ducibus usum esse Plinium, unus quidam quaerendus est, ex quo reliquorum nomina deprompta sint. Quem nullum alium nisi Isidorum esse eam ob causam mihi persuadeo, quod ille est omnium recentissimus ultimumque fere semper locum obtinet. Nam Mucianus, qui aliquoties una cum eo laudatur, ille quem quaerimus auctor esse non potest propterea, quod is iam in prima operis recensione in usum vocatus est. Fragmenta autem illa omnia hoc loco perscribere nolui, non tantum quod id longum est, sed quia in textu non latent.

Quae praeterea Isidoro tribuenda sint inquirenti mihi ex re esse visum est fragmenta infra posita unum sub conspectum colligere.

1

II, 242. Pars nostra terrarum, de qua memoro, ambienti (ut dictum est) oceano velut innatans longissime ab ortu ad occasum patet, hoc est ab India ad Herculis columnas Gadibus sacratas |LXXXV|. LXXVIII mil. pass., ut Artemidoro auctori placet, ut

vero Isidoro, |XCVIII|. XVIII M. Artemidorus adicit amplius . . . (246) ab ostio Tanais nihil modicum diligentissimi auctores fecere. Artemidorus ulteriora incomperta existimavit, cum circa Tanaim Sarmatarum gentes degere fateretur ad septentriones versus. Isidorus adiecit duodeciens centena milia quinquaginta usque ad Thylen.

2

IV, 121. (Europa) Longitudinem eius Artemidorus atque Isidorus a Tanai Gadis |LXXVII|. XIIII M pass. prodiderunt.

3

V, 40. (Africa.) Polybius et Eratosthenes diligentissimi existimati ab oceano ad Carthaginem magnam |XI M passuum, ab ea Canopum, Nili proximum ostium |XVI|. XXVIII M pass. fecerunt, Isidorus a Tingi Canopum |XXXV|. XCVIIII M passuum, Artemidorus XL minus quam Isidorus.

4

V, 47. Adhaeret Asia, quam patere a Canopico ostio ad Ponti ostium Timosthenes |XXVI|. XXXVIII M passuum tradidit, ab ore autem Ponti ad os Maeotis Eratosthenes |XV|. XLV M pass , universam vero cum Aegypto ad Tanaim Artemidorus et Isidorus |LX|. III M DCCL pass.

5

V, 129. (Cyprus). Huius circuitum Timosthenes CCCCXXVII M D pass. prodidit, Isidorus CCCLXXV M longitudinem inter duo promuntoria, Clidas et Acamanta, quod est ad occasum, Artemidorus CLXII M D, Timosthenes CC M.

6

IV, 102. (Britanniam) circuitu patere |XXXXVIII|. LXXV M Pytheas et Isidorus tradunt.

7

IV, 9. (Peloponnesus) propter angulosos recessus circuitu DLXIII M pass. colligit auctore Isidoro.

8

V, 132. (Rhodos) distat ab Alexandria Aegypti DLXXXIII M, ut Isidorus tradit, ut Eratosthenes CCCCLXVIII M, ut Mucianus, D.

9

V, 150. A Calchadone Sigeum Isidorus CCCXXII M D pass. tradit.

10

V, 127. Ex Asia interisse gentes tradit Eratosthenes Solymorum, Lelegum, Bebrycum, Colycantiorum, Tripsedorum. Isidorus Arieneos et Capreatas, ubi sit Apamea condita a Seleuco rege, inter Ciliciam, Cappadociam, Cataoniam, Armeniam, et quoniam ferocissimas gentes domuisset, initio Dameam vocatam.

Haec quae exhibui omnia Isidoro esse tribuenda censeo. Is enim ultimum fere semper locum obtinet, reliquos autem auctores (excepto fortasse Polybio), qui una cum illo laudantur, non est veri simile Plinium ut duces primarios secutum esse. Nam si Eratosthenem et Artemidorum et Timosthenem ipse consuluisset, dubium non est quin suo nec alieno de eis iudicio (fr. 3) usurus fuisset ex eisque plura excerpturus ad suum opus pertexendum idonea: quo in genere utiliter conferri Strabonis exemplum poterit. Fragmenta enim illorum auctorum, quae in libris non chorographicis exstant, minima sunt (II, 185. XII, 53; — VII, 30) atque talia quae Iubae deberi sat certo ut opinor demonstrari possit; quae autem in libris extr. III, IV, V, VI traduntur, ex parte eidem Iubae, maximam vero partem Isidoro deberi mox docebo. Accedit quod Plinium apparet mensuras prorsus ita ut traditas invenit aut stadiorum aut passuum numeris definire. Qui si stadia, quae L. Brunnii opinio est, ad milia passuum revocare animum induxisset, profecto non toties, quoties id fecit, ipsorum stadiorum numeros posuisset: velut III, 73. 76. 88. 122. 132. IV, 5. 11. 30. 49. 62. V, 77. 78. 112. 125. 141. 149. VI, 36. 45. 81. 199. Eratosthenem igitur et Artemidorum et Timosthenem ab ipso Plinio consultos esse etiam eam ob causam negandum est, quod mensurae eorum non stadiis sed passibus definiuntur.

Et quoniam Artemidoro potissimum duce usum Isidorum chorographiam suam composuisse ex ipsis quae exhibui fragmentis apparet, quaerendum erit, num forte etiam plura ex eodem derivaverit. Atque in eis, quos supra scripsi locis aliam atque Artemidorus prodidit mensuram. Cum autem vehementur dubitandum sit, num omnino Artemidorum Isidorus ut primarium ducem secuturus fuisset, si eum ubivis corrigendum emendandumque esse intellexisset, alibi eundem

etiam comprobasse putandus est. Itaque ad Isidorum non dubito etiam haec quae subsecuntur fragmenta referre.

11

VI, 36 (Casp. mare). Non minus hoc esse quam Pontum Euxinum Clitarchus putat, Eratosthenes ponit et mensuram ab exortu et meridie per Cadusiae et Albaniae oram quinquiens mille CCCC stadia, inde per Atiacos, Amarbos, Hyrcanos ad ostium Iaxartis MMCCCC, quae summa efficit quinquiens centena LXXV mil. passuum. Artemidorus hinc detrahit VXXV M pass.

12

VI, 70. Artemidorus inter duos amnes |XXI| pass. interesse tradit.

13

VI, 163. Timosthenes totum sinum quatridui navigatione in longitudinem taxavit, bidui in latitudinem, angustias IIII mil. D pass., Eratosthenes ab ostio |XII| in quamque partem, Artemidorus Arabiae latere |XIIII|. L mil., Trogodytico vero |XI|. XXXIIII M D pass.

14

VI, 183. Nam Timosthenes classium Philadelphi praefectus sine mensura dierum LX a Syene Meroen iter prodidit, Eratosthenes DCXXV mil., Artemidorus DC mil. . . .

15

VI, 207. Vniversus autem circuitus (i. e. maris interni) per sinus dictos ab eodem exordio colligit ad Maeotim lacum |CLV|. VIIII mil. passuum, Artemidorus adicit DCCLVI mil., idem cum Maeotide |CLXXIII|. XC M passuum esse tradidit.

16

IV, 77. [circuitus totius Ponti] Artemidorus |XXVIIII|. XVIIII M facit.

(Non Isidoro sed alii, fortasse Iubae, deberi locos V, 59 et VI, 156 ipsa verba indicio sunt.)

Ex his fragmentis non me fugit L. Brunnium duo (8 et 16) Muciano tribuisse: iniuria ut opinor. Videtur enim eum praeteriisse a Romanis auctoribus fontes, ex quibus hauserint, non indicari, id quod, cum de Varrone supra dixi, satis docuisse mihi videor. Idemque in Mucianum cadere non modo non est cur negemus, sed etiam propter propriam libri ra-

tionem ab eo confecti necessario credendum esse arbitror. Scripsit enim ille non tam generatim de rebus geographicis, quam quae ipse viserat memoriae prodidit: de quo Brunnius dixit p. 24. A qua sententia non abhorret indicis ratio. Positus est enim ille non in numero eorum, 'quibus in descriptione geographica proprie dicta usus est Plinius', sed eorum, 'e quibus ad amplificandum vel exornandum librum quaedam vel geographica vel historica delibavit', ut Brunnii verbis utar p. 5 positis. In tali igitur commentario componendo Mucianum tot fontes, ut Varronem et fere veteres, Cornelium Nepotem, Agrippam, Eratosthenem, Isidorum attigisse nemo facile credet. Sed ut hoc credatur: aliae existunt dubitationes eaeque gravissimae. Primum enim quas mensuras prodidit Mucianus, ex aliis auctoribus deprompsit, ut quae V, 132 et IV, 77 traduntur: cf. Brunnium p. 31 sq. Quod si est ita, quae reliquorum mensurae addito nomine referuntur, Muciano deberi non possunt; nam si deberentur, fidem destituisset Mucianus. Suas enim esse dixisset mensuras, quas Eratosthenem prodidisse Strabo docet: cf. Brunnium p. 32. Nec intellegi posset, cur V, 132 Eratosthenicarum mensurarum alteram suam, alteram Eratosthenis esse tradidisset. A Muciano Isidorum in Rhodo insula describenda in usum esse vocatum dicit sane Brunnius p. 31. At nondum exploratum est, uter opus suum prius ediderit. Quo enim tempore Muciani liber conpositus sit, erui non posse ipse Brunnius confitetur p. 26. Isidorum autem novissimum auctorem vocari supra diximus. Quae cum ita sint, Isidorum contendere non licet a Muciano consultum esse.

Restat ut quattuor quae supersunt Isidori fragmenta perlustremus. Sunt autem haec:

17

V, 132. (Rhodos) [circuitu CXXV M passuum aut] si potius Isidoro credimus CIII.

18

V, 135. (Samos) [circuitu LXXXVII M D passuum aut] ut Isidorus C M.

19

V, 136. (Chios) [circuitu CXXV M passuum colligit ut veteres tradidere], Isidorus VIIII M adicit.

20

V, 140. (Lesbos.) Tota insula circuitur, ut Isidorus, CLXVIII M passuum, [ut veteres, CXCV M.]

In his fragmentis cum veteres non nominentur, facile dicat quispiam eam ob causam nomina eorum sive ipsum Isidorum sive Plinium omisisse, quod ad exiguas tantum insulas mensurae illae spectarent. Fateor. Sed quoniam consimili ratione una cum Muciano et Varrone veteres in ipsa descriptione recensentur, alteri potius auctori primario mensuras eorum deberi crediderim, praesertim cum eae 'aut — aut' vocabulis in fr. 17 et 18 ceterorum mensuris opponantur. Hunc autem Varronem esse ex eis, quae capite II exposui, satis apparuisse puto. Is enim et in hac orbis parte describenda a Plinio in usum est vocatus, neque aliter ac plerique Romanorum auctorum de fontibus unde sua sumpserint tacere videtur, cum eorum mentio non nisi ita fiat, ut generatim 'plerique, veteres, fere veteres, aliqui, ceteri, alii' memorentur: quo et fr. 3. 9. 10 pertinent et quae Mela et Plinius communia habent. Accedit quod Isidorum Plinius in retractando opere consuluit. Inseruit igitur, quae ex eo excerpserat, fragmentis Varronianis.

Ceterum reliqua quoque Isidori fragmenta postmodo demum a Plinio adscripta esse paene supervacaneum est memorare, cum non modo nihil contra dici possit, sed etiam ipsa fragmenta certo indicio sint.

FRIDERICUS ERNESTUS GUSTAVUS OEHMICHEN

VORMLAGIENSIS LUSATUS

DE VITA SUA.

Natus sum Vormlagi in Lusatia inferiore die XIX mensis Decembris anni MDCCCXXXXVI patre Friderico Ernesto, matre Maria e gente Gowen. Litterarum primordiis imbutus adii scholam quae realis dicitur Lubbanam. Postea gymnasia frequentavi Cottbusiense et quod Dresdae ad aedem Sanctae Crucis est. Vere anni h. s. LXVII cum maturitatis testimonio dimissus civibus universitatis Heidelbergensis adscriptus sum ut philologicis studiis operam navarem, audivique vv. dd. Reichlin-Meldegg, Zeller, Koechly, Stark, Riese. Ibi per biennium moratus Lipsiam me contuli, ubi per tantundem temporis scholis interfui vv. dd. Zarnckii, Curtii, Ritschelii, Voigtii, Klotzii, Lipsii, Overbeckii, aliorum. Omnibus his gratias ago, maxime autem Ritschelio, cuius moderatione societatis philologae Lipsiensis, si quid profeci, via et ratione disputare me didicisse libenter profiteor; item Overbeckio societatis archaeologicae rectori; praeterea Henrico Brunnio. Is enim, cum alma universitate Lipsiensi relicta bibliothecae regiae Monacensis auxiliis adiutus dissertationem de Varrone et Isidoro Plinii auctoribus componerem, benigne permisit ut scholis, quas de archaeologia habebat, interessem.